



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Refutatio Accusatoris Anonymi Damnatas ab Innocentio XI. Propositiones adscribentis Ordinum Religiosorum Theologis ac præcipuè Societatis Jesu

Estrix, Aegidius

Moguntiaë, 1679

Propositio XLIII. Quid ni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem
magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

urn:nbn:de:hbz:466:1-42472

PROPOSITIO XXXIX.

Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

Autor propositionis citatur Stephanus Baunius in Summa pag. 307. 308. ubi eam dicitur dedisse *claris & propriis verbis* ipsius propositionis.

Hujus dicti falsitatem ipsi oculi judicabunt si quis locum adierit.

Damnata propositio est universalis de quocumque *inducente*. Est autem inducere. ut D. Thomas explicat 2. 2. q. 62. a. 7. *movendo, precipiendo, consulendo &c.* Baunius autem isto loco solum affirmat, non obligari ad restitutionem, qui *precibus induxit*, nullam imponendo obligationem, sed plenam ipsi libertatem relinquendo, ponitque eum, qui rogatur, ut damnum inferat, *suâ solius voluntate* damnum inferre, de Baunii ergo doctrina judicent sapientiores, quam sum ego, aut hic accusator. Jesuitas quidem parum angit illam neminem illorum habuit Baunius in illa doctrina ducem, vel asseclam: excutiantur omnes.

PROPOSITIO XLIII.

Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine *al-*
dere?

Ait accusator, hæc esse verba thesium à Jesuitis defensorum Lovanii. Si quæram, unde id norit ipse, testem producet gravem, & contra quem excipere Jesuitis sit nefas, Ludovicum Montaltium in damnatissimis Epistolis. Si non acquiescam, convincet etiam testimonio Sinnichii in Saule Exreg. l. I. c. 120. §. 457 qui post Montaltium testatus est propositionem Lovanii defensam esse.

Attamen Jesuitæ jure suo postulant sibi exhiberi Theses illas. Tum postea dispicient & de verbis & de doctrina thesium, si quæ extant uspiam hujusmodi theses. Hæc si inventæ fuerint, simul, ut puto innotescet professoris nomen, qui disputationi præfuit, & fortasse inveniri poterunt ejus scripta scholastica, atque ex his lux accedere thesibus, ut plena habeat documenta accusator de doctrina Lovanii defensa, ut asserit, & dispiciant viri moderatiores, an fuerit opus illis thesibus, ut conciperetur doctrina verbis idoneis censuræ, & an plus aliquid re ipsa voluerint illi thesistæ, quam in impressis libris Theologi bene multi, de quibus erit mentio ad propositionem proximam. Theses interea ipsas mihi expediat accusator, ut fidem inveniat.



D

PRO-